

D. D.
DISSE^TRATI^O MEDICA
ODORES
MEDICAMENTORUM
EXHIBENS,
QUAM,
SUFFRAGANTE AMPLISS. ATQUE EXPERIENTISS.
FACULTATE MEDICA,
IN REGIO AD SALAM LYCEO,
PRÆSIDE
VIRO NOBILISSIMO atque CELEBERRIMO
D:NO DOCT. CAROLO
LINNÆO,
S:æ R:æ M:ætis ARCHIATRÖ.
Med. & Botan. PROFESSORE Reg. & Ord.
Acad. Imper. Monsp. Berol. Tolos. Stockholm. &
Upsal. SOCIO,
PUBLICÆ CENSURÆ MODESTE SUBMITTIT
ANDREAS WÄHLIN MAG. FIL.
O-Gothus.
IN AUDIT. CAROL. MAJORI, D. **30** JUNII
ANNI MDCLII.
H. A. M. S.
~~~~~  
*STOCKHOLMIE,*  
Typis LAURENTII SALVIL

1848  
Cic  
11

VIRO

MAXIME REVERENDO atque AMPLISSIMO,

DN. JONÆ WÅHLIN,

S. S. THEOL. DOCTORI CONSUMATISSIMO,  
AD REG. ACAD. LONDINENS. PROFESSORI LONGE  
CELEBERRIMO,

UTRIUSQUE CONSISTORII ADSESSORI GRAVISSIMO,  
ECCLESiarum, quæ WALLKIRRA & STÅNGBY AUDIUNT,  
PASTORI & PRÆPOSITO VIGILANTISSIMO,

PATRUO INDULGENTISSIMO.

**O**s o! Jesæi Diuum, quo fospite, Templa  
Nunquam facundæ nelcia vocis erunt.  
**TU** mihi langventes subditis in otia Musas,  
Unica collaplæ, MAGNA COLUMNA, Domus.  
Desine tantarum præconia poscere laudum:  
Sufficiunt aliis carmina, nulla TIBI.  
Felices nimium, qui tantum carmina debent,  
Cui par officio est ipse Poëta suo;  
Plus TIBI debetur, quam quod persolvimus ulli,  
Nec satis est ullum, quod referamus, opus.  
Nunc trahimur: nimium ~~misericordia~~ esse Poëtam,  
Posterior meritis est mea Musa TUIS.  
Vive igitur victrix, maneat TUA fama perennis,  
Pectora qui largo docta favore juvas!

MAXIME REVERENDI ATQUE CELEBERRIMI  
MOMINIS TUI,

Cliens humillimus  
ANDREAS WÅHLIN.

HANDELSMANNEN och KRYDDKRÄMAREN  
I STOCKHOLM

VÄLAREBORNE och HÖGVALAKTAD

# HERR NILS FALK,

MIN GUNSTIGE GYNNARE.

När på min horizont de svarta molnen sväfva,  
Och olyks dimbor ståds omkring mig stiga upp;  
När för en ifrig storm mitt fartygs takel båfva,  
Och ett bedröfligt skår fyns bryta af dess lopp,  
Så vill dock solen ned en liten stråle skjuta,  
Och göra at jag lugn ett ögnblick kan njuta.

Dock uti samma stund jag ser mig än tillbaka,  
Och vördar Deras Gunst, som varit mig til skygd.  
HERR HANDELSMAN just J, med Eder VÄRDA MAKÅ  
Ha'n altid til mitt väl vist prof af sådan dygd:  
Ehr godhet dersför' nu jag vördsamt här bör nämna,  
Och Ehr ett vårdigt lof i alla tider lämna.

Tag gunstigt dese blad, som pant uppå et finne,  
Det uti alla mål för tacksamt kallas bör.  
Var viis at Ehr förtjenst än mera i mitt minne  
Skal lefva, än Ehrt Namn på dessa papper gör.  
Njut med Ehr Vårdnad frögd och fällhet utan ånda,  
Och famlen alt det godt, som Himlen kan Ehr sända!

VÄLAREBORNE och HÖGVALAKTADE  
HERR HANDELSMANNENS

MIN GUNSTIGE GYNNARES

Ödmjuke tjänare  
ANDREAS WÅHLIN.

FRU PASTORSKAN  
VALÄREBORNA OCH DYGDÄDLA

# FRU ANNA ARENANDER,

MIN HÖGTÅRADA KÅRA MODER.

Mer än lycklig skattar jag mig, som får nyttja et önskadt tillfälle, at i allmänhet förklara min vördnad och känbara sinnes rörelse för min Högtårada kåra Moder, som vid min upfostran hafvit en öm omvårdnad, och städse vakat öfver min välfärd. Fåfängt är, at med min ringa talegofva bjuda til at afskilda den moderliga kärlek, och berömma den styrsel, som jag ifrån baradomen, och i synnerhet ifrån den tid jag måtte fakna en Huld Fader, rönt vara makalös, och nu vid efterfinnandet all min inbillning vida öfvergår: dock lärer M. Kårasta Moder ej omildt uptaga, om jag, i betraktande af alt sådant, å min sida heligt förfäkrar, at ej mindre ionlig lydno, än vördnad och kärleksfullt hjerta stedse hos mig finnes. Eviga Godhet bevara icke allelnast Eder, Min Huldasta Moder, för alla vidriga händelser, utan ock i ömnigt mått tilldele alt det, som meniskorna ifrigast eftersträfva; på det jag med Edart bistånd må få vistas på den ort, där jag i dygd och vishet hoppas få både styrka och mognad. Med odödelig vördnad, och önskan om beständig välgång framhärdar

MIN HÖGTÅRADA KÅRA MODERS

Lydigste son  
ANDREAS WÄHLIN.



inter miras proprietates, quibus hominem & plor-  
que animantia Creator optimus ornare voluit, fa-  
cultas illa, quæ OLFAC TUS nomine venit, ultimam  
non tenet locum. Per hunc enim eam nature vix  
percipiunt, quam nullo alioquin modo investigare  
possent, & eodem desituit in discrimen non raro, tum  
sanitatis, tum vitæ incidenter. Et actio quidem rerum odorifera-  
rum in corpus humanum res fuit omni sane ævo, atque etiamnunc  
est, Medicis indagatu difficultissima, utpote que proprie & inmedia-  
te nervos adscit.

Præter animalium corpora, & e regno lapideo nonnulla, ton-  
ge plurima vegetabilia sese offerunt, quorum folia, cortices, radices,  
& in primis flores odorem emittunt. Atque inter tot millia vix duo  
odore ita convenient, ut nulla sentiatur differentia, & quot diversi  
sunt odores, tot etiam odoriferorum in nervos effectus existent.

Huc accedit quod modus nervorum agendi adhuc maxime ob-  
scurus sit & in Physiologia admodum explicatu difficilis. Benigno  
igitur, queso, excuses, Lector humanissime, si in re adeo obscura  
rectam

rectum non semper tramitem tenuero, in primis cum plus heic lumi-  
nis requiratur, quam nostra subministrant tempora. Spero autem fo-  
re, ut, cum plures viam sollicite querunt, assidua tandem multorum  
opera possit inveniri. Interim in arduis voluisse sat est.

## CAP. I.

## §. I.

**V**olatilia corpora, quæ occulto quodam modo in corpus  
humanum agunt, tam subtilia & exigua sunt, ut nihil  
sciam, cui possint assimilari. Ambra aut molchus odorem suum  
tenuissimum per plures saepe annos constanter exhalat, atque  
domum, ubi servatur, implet, sine sensibili quadam ponde-  
ris diminutione. Actio volatilium in corpus humanum expli-  
cari non posset, nisi Deus olfactum nobis dedisset, qui inter  
maxima est sentiendi organa. Tunica Schneideriana, quæ per  
omnes sinus, quos formant in fronte ossa papyracea, sese ex-  
tendit, adeo ampla est, ut si in planum reduceretur, totum fa-  
cile caput contegeret, in illis maxime animalibus, quæ fortio-  
ri & magis sensibili odoratu gaudent, ut Canes & alia. Ad  
hanc tunicam nervi olfactorii quasi immediate a cerebro ten-  
dunt, suntque maximi, qui in hac nudi quasi se effundunt,  
haud aliter ac nudum quoddam cerebrum, vel mollissima il-  
lius substantia medullaris heic expansa jaceret, ad subtilissima  
quævis in corpus humanum agentia observanda. Cum vero  
corpora volatilia subtile suos vapores exhalent, qui per-  
petui instar fumi ex illis sursum adscendunt, sapientissimus  
Creator odorandi organum proxime supra os collocavit, ut ni-  
hil, quod odorem habeat, cum cibis ingeratur, antequam nari-  
um tensionem & examen subiit. Nam omne olfactibile ore in-  
gerendum nobis calidi instar cibi hyberNALI tempore calore  
vaporantis est considerandum, quem, cum ori applicatur, vapo-  
rem superne exhalare videmus, & omnis respiratio, quæ sit per  
nares,

nares, saltem ubi edimus, auram supra ~~os~~ positam attrahit, ut nihil volatile in os ingeri possit, quod cum naso non communiceatur. Si odoratu homo non gauderet, saepe in præsentissimum vitæ periculum incideret pér corpora, quæ vires in eum suas exerunt, licet viam chylificationis non pertranseant, cuius indolis atque naturæ sunt nidores & tetræ mephites tantum non omnes. Sed nunc volatilia illa corpuscula cum aere se intime misceant, per nares facile attrahuntur, inque sinus frontis statim sentiuntur, cum hac via aer ad pulmones procedat.

Diversus ille odor, qui non tantum in esculentis, verum etiam in medicamentis sese offert, ob subtilitatem difficilimus omnino est explicatu, qui etiam Medicis Mechanicis tantum laboris creavit, ut fateri saepius coacti fuerint. se eum nullo pacto posse exponere. Ea vero alimenta & medicamenta, quæ sapore gaudent, Medici Mechanici recentiori ævo feliciter admodum explicarunt, ut non facile, quemadmedium antea falsas sibi hypotheses de virtutibus medicamentorum, quibus odor & sapor nullus est, obtrudi patientur. Quod ad Materiam medicam simpliciumque vires attinet, tanta ignorantia Veteres laborabant, ut summa imis saepe miscerent, corporibus odore atque sapore parentibus vim virtutesque heroicas adscribendo, contraria licet obseruemus, dum in primis de regnis animali & vegetabili loquimur. De lapidibus qui nobiliores seu Gemmæ audiunt, nescio quid divini credula illa vetustas sibi non finixerit, eos in hominis corde, capite, reliisque membris plurimum valere existimans. Sed hæc opinionum commenta delevit dies; nec amplius plantarum Asperifoliarum virtutes cordiales, in Medicorum veterum scriptis millies exclamatae, valent, sed effetae cum tineis certant in Pharmacopæorum pyxidibus.

Medicamentorum viribus Mechanicorum industria, idque beneficio saporis, egregie demonstratis, invenerunt Medici

sæpe inter duo, ejusdem licet saporis, multum tamen quoad effectum observari discriminis. Quod sine dubio ex eo derivandum, quod pleraque ejusdem odoris similiter sapient; at non omnia, quæ eundem habent saporem, ipso odore conveniunt. Quare odor est præcipuum illud, quod tantam in medicamentis ejusdem generis differentiam facit, & cujus consideratione Materia Medica multum lucis affunditur.

Si vera, certa & indubitata de *Nervorum* in corpore humano functionibus nobis esset theoria, multo facilior foret odorum scientia. At certo non dum novimus an horum actio fiat per liquidum quoddam subtile nervum, quod unico momento a suo principio ad extremitates illorum vehitur, vel an motus quidam tremulus in illis sit, ut nonnulli existimant, vel an irritabilitas ut unica & sufficiens causa sit agnoscenda, ut nihil jam dicam de recentiorum vi electrica sententia. Quæ cum ita sint, nihil jam superest, quam ut a posteriori experiamur, qualem effectum in corpus humanum odor habeat.

Certum & observationibus est comprobatum, quod *sapida* (qua talia) non agant in nervos, & si vel maxime acidum vel amarum, pingue aut viscosum, aquosum vel falsum comedimus, nulla observatur mutatio in illis, quæ a nervorum actione præcipue dependent.

Utrum nervi contrahendo agunt, est res fatis ardua, & in hunc usque diem a Physiologicis non sufficienter demonstrata; ex phœnomenis tamen aliquo modo concludi posse videatur, languidum autem nervum longiorem fieri ex opposito sequitur. Abscessum enim elongari Anatomici observarunt. Illa corporis pars, quæ paralysi afficitur, flaccescit & prolongatur. Scrotum pueri sani & vegeti contrahitur, infantis vero adversa valetudine laborantis lassique viri relaxatur. Spirituosa & volatilia contractionem efficiunt. Genitale membrum tur-

turgescit a fragrantibus, aphrodisiacis, & mente determinata ad libidinem. Huic quoque argumento robur addunt, quæ in morbis spasticiis observantur, in primis vero ex ansæ, quas nervi pathetici in vasis circa eorum extremitates efficiunt, unde sanguis in animi commotione versus superiora ad faciem reliquaque partes pellitur, eo ipso quod ansæ compressæ sanguinem per vasa sua ordinaria non transmittunt (\*). Ut vero omnia a nervorum vigore intumescunt, ita ab eorum inertia flaccescunt atque debilitantur. Sic Juventus Senectuti opponitur ex diversa nervorum functione.

Non magis Odorata in Fibras, quam Sapida in Nervos, a-gunt. Verum quidem est nervos in fibras non omni vi care-re, sed quod efficit Medicus medicamentis suis in nervos, si solida atque fibrosa consideraverim, diu non persistit, sed cum ipsa nervorum intermissione cessat, & in pristinum, si non deteriore, statum reddit; Sic amara corroborant fibras muscu-lares, ut in Cachexia: Spirituosa eundem quidem effectum in instanti producere valent ac amara diu usitata, at quod cito fit, cito etiam perit; longe aliter se habent amara fibras corroborando: Nervorum enim alteratio in turgescencia, fibrarum au-tem in constrictione & relaxatione consistit. Et vix in tota re-  
natura datur, cui hancce nervorum actionem magis com-  
modius

(\*) Illustriss. HALLERUS in Comment Boerhavii Vol. IV. p. 448. ita dicit: videntur nervi, qui instar laqueorum arterias circumplectuntur, in ira, & gudio, alternis concussionibus incitare arteriosi sanguinis in-fluxum; in timore, & lenius in merore, perpetua strictræ easdem arterias coercere, ne sanguis ad paries effluere possit. Hos laqueos inve-nio in arteria carotide interna, temporali, meningea majori, vertebrali, subclavia, radice subclavie dextræ & Carotidis, trunco Aortæ, arterijs brachialiibus, arteria Cœliaca, Mesenterica, arterijs que ex pelve prode-unt, pares certe omnino adsignato effectui. Pudor, timor, lene genus, videtur strigere venam temporalem, ubi a nervi duri ramis ambulet, & sanguinem retinet. Mirifice certe consentit, que alibi dicunt, in cri-gendo pene nervorum operatio, qui sanguinem venosum retinent.

mode assimilare possum quam filamentis *Medusæ* Faun. Suec.  
 1286. Corpus illius orbiculatum, subconvexum, numerosa subse continet fila, capillorum instar in aqua pendentia, ne minimum quidem insectum præterlabitur, quin illud persentiant: ubi illis aliquid adhæret, contrahuntur solum & crassiora fiunt, unde propius ad os ejus protrahitur. Si vero hoc animalculum diu fatigatur, omnia ejus fila languida & paralytica quasi ac mortua pendent. Pariter etiam videre videor nervos corporis humani a cerebro ad omnes corporis, partes prodeuentes, ibi vero expansos aliis utcunque demum partibus infixos, haud aliter ac radii in tela aranearum.

Variis casibus ea dedicimus, quæ huic rei illustrandæ aliquo modo inferviunt: Vir iste, qui magnam partem cranii ammisit, semper, dum cerebrum digitis comprimebatur, in somnum incidit, quasi collabescientia cerebri caussa somni & debilitatis esset. Dum ille gravi quadam tussi affligeretur, cerebrum extra cranium expandi observabatur, ex quo cerebrum nervorum motu turgescere videtur. Cum vero Anatomici demonstrarent quemcunque nervum substantia cerebri meninge circumdata confistere, veritati consentaneam videretur turgescentiam nervi actiones illius producere; cur autem olida intrent, ubi omnia alia excluduntur, altioris est indaginis & majoris subtilitatis, quam uta nobis queat enodari, pure idcirco theoreticis illud ipsum discutiendum relinquimus. Hoc opus hic labor in praesenti negotio mihi erit, ut illum effectum, quem certi odores in corpore humano hebent, explicem.

### §. II.

Spirituosa, quæ vim suam in nervos exerunt, peculiaris sunt indolis atque naturæ, & diversus ille effectus oritur ab his, prout dosis fuerit major vel minor. Si admirandam hancce examino vim in subjectis diversæ ætatis, Juventute nimis rurum & Senectute, paullo clariorem de hac ideam mihi for-

mare video. Comparationem itaque inter hæc ætates facere  
volo, & deinde inter illas & spirituosum. Ad quod præcipue  
pro auxilio utor *Francisci Baconis De Verulam Discrimine in-*  
*ter Juventutem & Senectutem:*

*Juveni*

Cutis levis, plana - - -

Corpus succulentum

Corpus erectum

Artuum firmitas

Vires robustæ, agiles

Calor maximus

Genæ floridæ

Pulsus incitator

Sensus vivaces

Bolimos

Libido

Lætitia

Humanitas

Misericordia

Garrulitas

Valde velle

Levitas, mobilitas

Liberalitas,

Philanthropia in alios

Confidentia & spes

Facilitas

Sinceritas & animus apertus

Magna appetere

Præsentibus rebus favere

En! metamorphosin humanam longe maximam, &  
quantum mutatus ab illo.

*Seni*

Cutis arida, rugosa, præser-  
tim ad frontem.

Corpus exsiccum.

Corpus curvum.

Artuum tremor.

Vires diminutæ cum rigidi-  
tate.

Frigiditas.

Genæ exolætæ, pallidæ.

Pulsus tardior.

Sensus hebetes.

Anorexia.

Venus tarda.

Mœror,

Invidia.

Obdurescensia.

Obmutescensia.

Moderatio.

Gravitas, constantia.

Avaritia.

Sibi sapere.

Diffidentia & suspicio.

Morositas.

Cautio & animus tectus.

Necessaria Curare.

Anteacta potius habere.

Si senem in Cauponam sequamur, & Bacchi Candidati cyatthos varii generis vini impleant atque propinent, statim vidabis eum, qui erat *Senex* rugosus, aridus, rigidus, curvus, tremulus, castus, exsiccus, seniu hebeti, pulsu tardiori, genis pallidis, corpore frigido, obmutescens, durus, invidus, moderatus, gravis, dolens, avarus, sibi sapiens, suspicax, morosus, cautus &c. brevi omnia hæcce senectutis indicia deponere, & *Juventutis* florem induere, facie leviori & plana, robustus & agilis, firmioribus manibus, libidinosus, sensibus vivacibus, pulsu celeriori cum genis floridis & fortiori calore, garrulus, misericors, sincerus, liberalis, confidens &c. quæ omnia in Juventute observare licet. Habent itaque Spirituosa id præ certis peculiare, ut deperditas resarciant vires doloresque mitgent, & ut Medea senectutem in adolescentiam convertant. Si in Medicorum potestate esset spirituorum effectum constantem reddere æque ac sapidorum, hominibus vitam duplo sepius longiorem darent; Sed hæc ut plurimum infelicem fortiantur exitum, quo magis enim nervi irritantur spirituosis, eo flaccidiores evadunt, unde evenit, ut effectu cessante, omnia debiliora fiant, quod optime in sene nostro conspicitur, qui sequenti die deteriori, quam antea, est conditione. Interim tamen hocce exemplo confirmari videtur recentiorum de irritabilitate nervorum sententia.

Antequam vero ab hoc experimento discedimus, SCHALAM ÆTATUM breviter percurrere luet, ut differentem earum indolem videamus,

1:o *Embryoni* competit somnus fere perpetuus, mutitas.

2:do *Infantiae* lapsus, balbuties, calor summus, singultus ab ingestis, stultitia.

3:o *Pueritiae* cursus, iulus, inconstantia, garrulitas.

4:o *Adolescentie* calor, liberalitas, laxitia, jocus, libido.

5: *Juventuti* tepor, humanitas, luxus, hilaritas, cantus.

6:o *Virilitati* robur, ratiocinatio, tranquillitas.

7:0 Senectuti debilitas, rigiditas, tremor, tristitia, severitas.

Cum autem jam *primam dosin* ex spirituosis seni propinamus, senectuti quasi renuntiat & evadit fortis, robustus, judiciosus, tranquillus, sermocinus, ut *Vir* 6. *Alterum poculum* eum calidum reddit, humanum, sociabilem, hilarem & sonorum, qualis est *Juvenis* 5. *Tertio* adhuc calidior, latior, liberalior, jocosior, & magis libidinosus fit, ut *Adolescens* 4. *Quarto* poculo exhausto, inconstans, ludens & garrulus, ut *Puer* 3. Post *quintum* vero calore intensissimo, stultitia, torpore, balbutie, lapsu, singultu afficitur ut *Infans* 2. *Sextum* dum evacuaverit, obmutescientia laborat & dormire incipit, ut *Embryo* 1. Et heic ipsi subsistendum, ne vita ipsum destituat. Atque sic denuo omnia aetatis stadia fuit emensus. Hocce experimentum, licet maxime e trivio sit petitum, effectum tamen spirituosorum in nervos maxime illustrat. Calor itaque oritur a nervis, non a simplici frictione, nisi dicere quis vellet nervos, corroborando fibras, frictionem adaugere; sed hoc modo amara maximum excitarent calorem, quod tamen ab amaris non volatilibus haud semper efficitur. Hoc inde confirmatur, quod 1:0 ex potionē aquae calor non intenditur. 2:0 A spirituosis omnibus calor. 3:0 Venere sive gonorrhœa exhaustus, frigidus. 4:0 A motu quidem calor, sed motus a nervorum actione, nec motus in nervis. 5:0 Paralytici in late re affecto frigidiores. 6:0 Corrosiva quidem calefaciunt, sed exulcerando fibras. 7:0 Frigidus ab haustu spiritus vini & cervisia calidior fit. 8:0 Cordialia omnia spirituosa sunt, & cor cessans in deliquiis excitatur spirituosis.

Lubet vero aliquanto accuratius spirituosorum effectus ratione diversitatibus dosium scrutari; sit itaque Homo labore, haemorrhagia, venere, fame vel senio exhaustus, & per consequens invalidus, frigidus, dolens &c. *poculo* I. fit refectio virium, *poco* II. motus cordis auctus, corpus calidius, anima tranquillior. III. refectio lasitudinis, amor & liberalitas. IV. pulsus citatior, facies rubra, lusus, garrulitas, V. pulsus febrilis, sensus

sus confusi, balbuties. *VI.* mania, furor. *VII.* convulsio, singultus, vomitus. *VIII.* lethargus. *IX.* apoplexia. Augetur circulatio sanguinis, calor, vires, secreciones; mitigatur animus, doloresque evanescunt; oblivio accedit, judicium confusum & tandem sopor. Atque sic unum idemque medicamentum, pro diversa sua dosi, diversos nobis sistit effectus, ut

|                                      |               |
|--------------------------------------|---------------|
| 1:0 halitus fragrans                 | Alexiteria.   |
| 2:0 secreciones incitatæ             | Stimulantia.  |
| 3:0 calor                            | Calefacentia. |
| 4:0 nutritio                         | Nutrientia.   |
| 5:0 vires refectæ                    | Analeptica.   |
| 6:0 hilaritas                        | Exhilarantia. |
| 7:0 affectus sedati                  | Paregorica.   |
| 8:0 dolores corporis, & animi sedati | Anodyna.      |
| 9:0 mens confusa, vertiginosa.       | Narcotica.    |
| 10:0 stupiditas & somnus             | Hypnotica.    |
| 11:0 convulsio cardii                | Singultuosa.  |
| 12:0 convulsio ventriculi            | Emetica.      |
| 13:0 convulsio intestinorum          | Purgantia.    |

Dependent itaque hi effectus ab irritatione nervorum, quæ a spirituosis producitur, non enim ex aqua & ejuscemodi inertibus liquoribus eveniunt; adeo ut calor, motus humorum, vires, nutritio, vigiliae, somnus, deliria, convulsiones &c. cum levitate, agilitate, laetitia, animi voluptate, libidine & sexentis aliis nervorum actioni debeat originem.

### S. III.

Eximiam spirituosi istius in nervos vim in primis percipi mus, dum concentratum est. Si quis Syncope corripitur, ut altero quasi pede in cymba stet Charontis, & spiritus quidam volatilis ad nares applicatur, statim reviviscat. Qui animo & corpore ita debilitatus est, ut ne digitum quidem minimum, movere valeat, ex guttis nonnullis vini rhenani mirum in modum refici nullus non semet observavit. Alius, qui adver fa

sa fortuna ita conflictatur, & sub onere paupertatis gerinit, ut omnem emergendi spem amiserit, unde melancholia, dolore & desperatione ita vexatur, ut ne horula quidem a tristibus & anxiis meditationibus liber sit, si guttas aliquas vini rhennani accipiat, vivacior fit, omnis dolor pristinæque miseriae recordatio evanescit, contentus & laetus canit, ludit, &c, quamdiu in illo statu permanet, se felicissimum prædicabit, ac si Nephthen guftasset, quæ nulla alia medicina, nulla moralis perswasio, nec ulla res humana efficere valet.

Maximum vero discrimen spirituorum facit proportionem dosium. Minuta enim dosis parum nervos stringere, larga autem nimis illos extendere, si non prorsus destruere videtur. Exiguus spirituorum vapor naribus applicatus cor, dum munere suo fungi cessavit, iterum ad motum excitare valet; at vapor maxime concentratus e Dolio vini vel cella clausa, in qua vinum fermentat, robustissimum quemcunque exemplo perimit, & chorda nimis tensa rumpitur. Quæ omnia, Nobiliss. D:nius PRÆSES vividis coloribus depinxit in *Calendario Suecico* pro anno 1747. Est corpus humanum cum suis nervis navi suis carbasis, velis, funibus bene instruēta perquam similis; si navis diu rapidissimis ventis agitatur, tandem funes flaccescunt, & mali tremuli fiunt, aequo ac homo ex diuturna vita, nimio labore multisque vigiliis fatigatus: vel ut in nave, ubi funes pluviis saepè macerari, elasticitatem suam perdunt, & quati incipiunt, usque dum de novo fuerint irrigati: ita etiam corpus hominis ex frequenti & larga spirituorum potatione tremere incipit, usque dum denuo aliquot cyathis robur brevi duraturum receperit. Hæc sola est differentia, quod funes, qui a vegetabilibus constant, aqua contrahuntur, nervi vero, ceu ex animalibus, relaxantur ab aquosis, & tantummodo a spirituosis intenduntur. Si vel fortissimus aquam tepidam copiose bibit, a nimia debilitatione tremere incipit. Item si iusto sapientia nervos intendit labore, venere & poculis; at hic tremor

mors cessat ex una dosi potus spirituosi, usque dum in auram spiritus abiit. Ex hisce facile concluso plurimos senectutis morbos dependere non tantum a rigiditate fibrarum, verum etiam a minori irritabilitate nervorum.

## CAP. II,

### §. IV

**O**dorum infinitæ sunt varietates, ideoque difficillimum est eos ad certas reducere classes. Communiter distinguuntur in odorem *gratum* & *ingratum*. Quomodo *gratus* odor agat, ignoramus, nisi quod nervis immo etiam vita eum sentiamus esse amicum et desiderabilem. *Ingratus* autem audit, quem vita maxime aversatur. Dantur etiam alii quasi intermedii, qui nonnullis placent, aliis displicant.

Dispesci potissimum possunt odores in vii Classes sequentes.

I:o. *Aromaticos*. II:o *Fragrantes*. III:o *Ambrosiacos*. IV:o *Alliaceos*. V:o *Hircinos*. VI:o *Tetros*. VII:o *Nauseofos*.

De quibus *Swaveolentes* odores sunt *Fragrantes* 1 & *Aromatici* 2. *Festidi Tetri* 6. & *Nauseofi* 7. aliis *grati* aliis *ingrati* *Ambrosiaci* 3. & *Hircini* 5.

Exempli gratia.

**AMBROSIACI** *Ambra*, *Moschus*, *Zibethum*, *Abelmosch*, *Geranium moschatum*, *Malva moschata*, *Allium moschatum*, *Latyrus moschatus*, *Milium*, *Holeus*, *Kleinia*, *Asperula*.

**FRAGRANTES** sunt flores *Tilie*, *Lili*, *Jasmini*, *Nyctanthes*, *Polygonis*, *Cheiranthi*, *Croci*.

**AROMATICCI** folia *Lauri* omnium specierum, flor. *Dianthi*, sem. *Ammios*.

**ALLIACEI** *Allium*, *Alliaria*, *Scordium*, *Thlaspi alliaceum*, *Petiveria*, *Affa foetida*.

HIRCINI *Orobis*, *Vulvaria*, *Geranium robertianum*, *Hypericum hircinum*.

TETRI *Stachys*, *Cotula*, *Tagetes*, *Opium*, *Cannabis*, *Ebulus*, *Anagris*, *Juglans*, *Aetaea*, *Solana*, *Doronicum*, *Hyscynamus*, *Melianthus*, *Cassia*, *Buxus*, *Anethum*, *Coriandrum*.

NAUSEOSI *Veratrum*, *Helleborus*, *Convallaria*, *Draconium*, *Asarum*, *Nicotiana*, *Colocynthis*, flores *Stapeliae*.

Horum autem virtutem diversum odore observamus, dum in nudos nervos agunt, & per consequens dissimilem quoque in corpore, ubi in illud agunt, effectum. Hinc FRAGRANS stimulat nervos flaccidos. AROMATICUS intendit per nervos omnia vasa, & circulationem reddit promptiorem. TETER sopit quasi nervos. NAUSEOSUS convellit, ut nervi quasi eundem executere laborent. HIRCINUS excitat venereum, & coincidit fere cum illo, qui in genitalibus lascivis reperitur. AMBROSIACUS vim solummodo cordis intendere videtur, quare Turcae, qui hoc odore maxime delectantur, sunt longeviores; dum vero vis cordis fortior fit, & alia se offerunt obstacula, suffocat quasi hominem, unde quoque hystericae & plethoricae nequaquam hunc ferre possunt. ALLACEUS præcipue transpirationi inservit, & maxime salubris illis esse perhibetur, qui transpirationem habent fortissimam atque uberrimam, at contra quibus illa est tarda. Dixit præterea Sanctorius se expertum fuisse, nihil transpirationem magis promovere, quam succum Cyrenaicum vel Laser veterum, qui adeo in defvetudinem abiit, ut in cibis condiendis vix adhibeat, sed variii generis Allia hodie ejus loco in culinis nostris usurpantur; Indiae vero incolis quotidianum præstat usum, unde Indi semper, dum carnem edunt, orbem eo succo illinunt, qui jam aspa foetida nuncupatur. TETER odor sopit, hinc *Anetum* temporibus morbo febrili correptorum & somno privatorum, applicari suevit. Si quis sub *Juglandis* vel *Sambuci* umbra decumbat, statim dulci somno

sopitur. Nonnulli ex ambrosiacis videntur habere aliquid ad mixti ex tetro & fragranti odore, ut Balsamus *Myristicæ, Crocus* &c. qui etiam sopiunt; & dum *Zibethum vel Moschus* odore suo privatur, eundem iterum recipit, si in cloaca suspenditur. NAUSEOSUS odor naturæ ingratus est, & nasum ab eo avertimus. Si particula putridi ovi corpori ingeritur, ventriculus convulsionibus afficitur, quæ non desinunt, priusquam hoc yenenum per superiora vel et inferiora evacuatur. Dum ejusmodi teturum e. g. radix Veratri, flores Convallariæ &c. naso ingeritur, inde convulsiones & sternutationes oriuntur, quæ etiam continuant, usque dum evacuatio accesserit. Plurima purgantia, Rhabarbarum, Senna, Colocynthis, Elaterium, Asarum, Ebulus, hujus naturæ sunt, quare & haec omnia natura effugere atque evacuare conatur; si vero in decoctis vel infusis propinentur, ut in massam sangvineam intrare possint, sudorifera, diuretica, vel emenagogæ evadunt, natura enim per quascunque apertas vias hisce se liberare annititur. Ex hisce jam leviter demonstratis, facilius ad eorum in Medicina usum concluimus.

## S. V.

ALEXITERIA ut plurimum Alliacea sunt, & quæ maxime cum hisce convenient, quibus utimur ad præservandum corpus a contagiosis noxiisque miasmatibus; augendo enim transpirationem, attractionem impediunt; & ut per pulmones tantum, quantum per totum transpirat corpus, & odor hicce in illis, qui Allia comedunt, facile sese prodit, ita respiratio atmosphæram quasi olidam format circa os eorum, qui haec sumferunt, quemadmodum fumigationibus utimur in Peste, quo forti hoc odore quemcunque alium depellamus fetorem. Solent itaque Medici eum in finem Allium, Cepam, Aſſ ſetidam, Scordium, Rutam, Angelicam &c, præscribere; rufſci Ligusticum juxta domos crescere finunt, ut hoc ipſo aerem purifcent. Sunt etiam haec plerumque CARMINATI-  
VA,

VA, partim ideo, quod transpirationem adaugeant, ut corpus perspirabile fiat, partim etiam ut olido suo corroborent & irritent nervos, a quibus tonus fibrarum & intestinorum dependet; nam cum nervi, qui ad intestina tendunt, paralyxi corripiuntur, tympanitis oritur. Concludimus itaque Allium, Scordium, Rutam, Assam foetidam & plerasque alias plantas Umbellatas vi carminativa gaudere.

**STIMULANTIA** incitant secretiones ut Piper & pleraque Aromata, quare & haec medicamentis evacuantibus addimus, nam per haec celeriorem obtinemus effectum; si e. g. ad dimidiā drachimam Rhabarbari addimus nonnulla Cinnamomi vel Piperis grana, plura efficimus, quam si drachmam integrā in duplo agrotanti porrigeremus.

Optima *Diuretica* habent præter acre aliquid olfactū stimulans, quod intendit eorum vim, ut omnium optime observatur in Aymoracia, Sinapi, Naſturtio & ceteris, & cum Medicis in diuretico adhibent Decocta Lignorum, addunt semper aliquid Stimulans, ut effectus eo magis acceleretur.

**CALEFACIENTIA**, quæ calorem adaugent, sunt quidem semper sapore acria, sed si odoris expertia fuerint, plerumque corrosiva, ut Coccognidium, Capsicum, quæ inflammationem efficiunt; quæ vero in nervos agunt ut Aromaticæ, calefaciunt sine manifesta corrosione, cuius generis sunt Cariophylli, Piper, Galanga, Zedoaria, Acorus.

**ANALEPTICA** r̄ertos corroborant viresque inflant, hinc promtiorem reddunt circulationem, ut in annis juvenilibus calor absque vi intenditur. Agunt itaque ferme ut Aphrodisiaca, & Cordalia, quæ hisce maximam partem virtutis suæ debent.

**REPELLENTIA** vel ut aliis audiunt *Discutientia* & *Relaxantia* uplurimum Tetra sunt, quæ suffocant quasi & sopiunt nervorum actionem, ut opium. Si Belladonnae folium oculo adponatur, iris tonum suum amittit, pupilla dilatatur, & quasi paralytica evadit. Hoc itaque verisimum, quod fibræ laxiores

res evadant, & dolor mitigetur, omnesque vitæ vires in suspen-  
so quasi hæreant. Hinc in arthritide, scirrho, tumoribus mam-  
marum, scrophulis, ophthalmia, haemorrhoidibus cæcis præscri-  
benda sunt; dum partes corporis nobiliores conservare volu-  
mus & consequenter materiam in aliud propellere locum hæc-  
ce applicare sivevimus. At, si unquam certe hic prudentis Me-  
dici opera requiritur, ne plus detrimenti, quam auxilii adfe-  
rat, præcipue ne, materiam immobilem depellendo, gangræ-  
nam partis excitet. Ejus indolis sunt Solanum, Hyoscyamus,  
Aconitum, Cicuta, Mandragora, Papaverina; ita Empl. de  
Cicuta in Scirrho mammarum, Rad. Mandragoræ in Podagra  
usurpanter: hæc autem interne assumta *Expellentia* fiunt, &  
cum sudore per naturam exprimuntur.

EXHILARANTIA in Medicina duplicis in primis gene-  
ris sunt, & præter spiritus destillatos, Opium, Peganum, pol-  
len Cannabis, Crocus & Horminum satis sunt nota, quæ ju-  
sta dosi exhilarant, majori vero infatuant, & soporem efficiunt.

### MIN HERRE!

Hvar vett och klokhet får sig para  
Med Dygden i en ådel Själ,  
Där alstras straxt de frugter rara,  
Som tjena til et allmånt väl.  
Då vittra pennor troget tekua  
Vår fällhet upp, liksom i sten,  
Den ej för vanlighet kan blickja,  
Och ej af åldrar lida men.  
At medlen, som vår hålla främja,  
Af LUKTEN nödigt känna bör,  
Om de en sjukdoms gift sku fåmja,  
Min HERRE, J här kunnigt gör.  
Ehrt arbet' vist Ehr möda lönar.  
Ehr dygd mig tycks förtjenat ha',  
At Pallas snart Ehr hjessla krönar  
Med det, hans vårda Söner dra'.

CARL HISINGH.